

solutos, ac nichilominus obstagia, que per vestras moniciones medio tempore servarentur, in vos omnino redundare volumus et in vestrum dispendium totaliter retorqueri, maxime cum sepedictus dominus episcopus ex premissis servicio suo, quod faciet ista vice, huiusmodi consolacionis fructum non immerito reportare debeat, immo etiam ex parte supradicti domini et genitoris nostri specialibus super hoc litteris sit munitus, prout hec omnia et singula nostris vobis litteris iamdudum exprimenda duximus et specialiter intimanda.

Datum in Praga XI. Kalen. Maii anno domini M^o CCC^o XIII^o, regnorum vero nostrorum anno tercio.

12.

1315 Jan. 10 Worms¹.

Ludewicus dei gratia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Inter diversas sollicitudines nostras illam non minimam reputamus, ut hiis, qui ardenciori studio et devocione precipua nostris et imperii serviciis perseveranter insistere curaverunt, nostra regalis benignitas elementer provideat de uberiori indemnitate comodo et quietis. Hinc est, quod devota servicia, que nobis et imperio per venerabilem Philippum episcopum Eystetensem, principem nostrum dilectum, reverenter exhibita sunt et in posterum poterunt exhiberi, diligentius attendentes sibi et ecclesie sue, que gravi debitorum onere est oppressa, succurrere de benignitate regia cupientes, omnia privilegia, litteras, gratias seu indulgencias sibi et ecclesie sue per preclare recordacionis Henricum Romanorum imperatorem, tunc regem, illustrem predecessorem nostrum, necnon per illustrem Iohannem regem Bohemie et Polonie, sacri imperii citra montes tunc vicarium generalem, principem nostrum dilectum, concessas et traditas super eo, quod ad solucionem usurarum accrescencium super pecuniarum summis sibi et ecclesie sue per Iudeos quoscumque creditis nullomodo teneantur, dummodo ipsis Iudeis sortem persolvant et restituant principalem, ratas habere volumus et easdem auctoritate regia

1) Kopialbuch fol. XXXI. Rubrum: 'Rex Ludewicus confirmat omnia privilegia et (schwarz einkorrigiert) litteras [super dampnis usurarum] (mit schwarzer Tinte über ausgelöschtem rotem Text geschrieben) ab antecessoribus suis ecclesie dat[a]' (abgeschnitten).